

dum de peccato, & pœnitentiam operetur, & præparet nos, ut sermo Christi in nobis locum habeat. *Iob. 8. v. 43.* Ut tanquam sub Pædago nos in timore Dei contineat. *Gal. 3. v. 24.*

6. Promulgatus est Decalogus peculiari modo. 1. Præcessere multa signa. 2. In ipsa promulgatione edita sunt miracula, *Exod. 19. 20. Heb. 12.* 3. Et miracula multa sunt secuta.

7. Ita intelligendus est decalogus peculiari modo, sicut explicatio ejus in scriptis Prophetis & Apostolicis tradita est.

8. Quare 1. Affirmationi præceptorum simul est addenda negatio contraria: Et negationi affirmatio. 2. Comprehendantur simul interiora & exteriora tum peccata, tum bona opera. 3. Ostendendum etiam est malum, quod renatis, cum volunt facere bonum, adheret. 4. Magnitudo peccati agnoscenda est, quanta sit abominatio peccatum coram judicio Dei. 5. In singulis præceptis addendæ sunt comminationes inobedientibus, tum generales, tum speciales pœnarum tum corporalium, tum spiritualium: itemq; promissiones præmiorum, obedientibus.

9. Promissiones legales requirunt conditionem perfectæ impletionis: quæ est in hac vita impossibilis: Comminationes verò legales de morte æterna, manent super incredulos,

los,